

16

THESES ANATOMICÆ, MEDICÆ ET  
CHIRURGICÆ.

001

DE CALCULO HUMANO.

Quas tueri conabitur Michael Dominguez et  
Flores, Præsides D. D. Michaele Isla Medicinæ  
Cathedræ Moderatore Regio in hoc Mayori  
Statutique Colegio Deiparæ Virginis à Rosario.  
Die 8 Julij anni 1806.

1.º *In calculo renun et vesicæ, pro natura  
calculi, ætate et temperamento ægrotantis,  
remedium Alkalino-Saponaceum Anglicum  
juxta methodum Boerhavii adhibendum.*

2.º *Ergo reni calculoso integro ferrum non  
est utendum.*

M. H. A.



V.16  
f.1



Universidad del  
Rosario

Archivo  
Histórico



PRO ACTU PUBLICO ANNI 4. STUDII MEDICI.

**E**A est fluidorum corporis humani dispositio, ut mora vel accedente qualibet altera causa mutentur, concrecant, naturam que lapideam induant quandoque. Concretiones duras in quacunq[ue] corporis parte generari comprobatur experientia; at quam varia sit ipsarum indoles comparatione instituta facile patebit. Alię enim ex concreto osseo nascuntur; alię vero ex partibus terrestribus simul unitis coadunatę veros efformant calculos. Glandulas pinealem, et pituitariam lapideas probat cadaverum sectio; calculos in lingua haud rara arguit obserbatio; in glandula lachrymali, pulmonibus, ventriculo, intestinis, utero reperiuntur; nullibique sæpius generantur quam renibus et vesica.

Sola optima medela vel extractione debellari potest, quę pro varia concrecionum calcu-



losorum sede orietur accidentium congeries. Ar-  
duum hoc ultimum opus feliciter audax non semel  
tentabit Chirurgia; sed in quocumque casu effica-  
cem hanc operam prohibent partium indoles aut  
usus. De calculis Renalibus ceteris omissis dicturus  
perpendere juvat. 1.º ; *An in calculo renum et vesicę  
pro natura calculi, etate et temperamento Ægrotantis reme-  
dium Alkalino-Saponaceum Anglicum juxta methodum  
Boerhavij applicandum?* 2.º ; *An reni calculoso integro  
ferrum utiliter adhibendum?* Considerata prius renum  
structura facile solvetur propositarum quæstionum  
nudus.

## §. I.

*Ex Anatomia.*

Renes ut plurimum duo in utroque  
superioris lumborum latere, extra cavitatem  
Abdominis, retro peritonæum situm obtinentes,  
parte sua superiori duabus infinis costis spuris in-  
cumbunt nunc æquali, frequentius diversa paulo  
altitudine contra inferiorem partem crurum Dia-  
phragmatis, et superiorem musculorum quadrati  
et Psoas. Inter rariora et vitiosa habeantur Ren-  
unicus, aut Renes numero tres. (a)

(a) *Videatur Bartolinus, Eustach. Tabula anatomia, et Mangetus in Thest. anatomico.*



Phaseoli majoris figuram æmulantur Renes, antèrius, posteriùsque depressi duas dant extremitates, superiorem unam et latiore, inferiorem alteram. Exterius convexi, seu gibbi, interius vero, qua parte vasa majora vertebraeque conspiciunt concavi, inæqualiterque divisi, quinque sexve digitorum transversorum longitudinem, crascitiem duorum, trium fere latitudinem æquant. Pro varia ætate varia renum configuratio. In adultis exterius leves, lubrici, et æquales; in fætibus vero quodammodo inæquales et pluribus lobulis minoribus coagmentati videntur, quæ quidem conformatio in adultis quandoque observanda.

Duabus involvuntur membranis, communis prior laxâ multa pinguedine obsita, non Peritonæi duplicatura, solo textus cellularis nomine nuncupanda, Renibus, ipsorumque vassis integumentum suppeditat. Hac mediante Ren dexter hepatis et intestino cæco; sinister lieni et intestino colo, lumbis denique et Diaphragmati uterque connectitur. Propria altera tenuis, undique Renibus tenaciter affixa intra ipsorum substantiam tenuissimis propraginis inseritur.

Carnis speciem præ se ferens Renum substantia, innumeris vasorum surculis irroratur. Ab Aorta arterias, à vena cava, venas mutuatur. Vasa



hæc concavam ipsorum partem subeuntia, in varios  
abeunt ramos per medullarem substantiam arcuatim  
dispositos, unde prodeunt ramuli minores ad cor-  
ticem usque protensi, hicque vermiculari reptatu  
glomeres tenuissimos constitunt. His intrincantur  
tenuissimi nervorum plexus, præsertim á Sympathico  
majori, parique octavo oriundi. Omnibus hisce  
vasorum distributionibus comites adduntur pro-  
pria membranæ propagines.

Non una eademque fuit Anatomicorum circa  
Renum structuram sententia. Hanc veteres Paren-  
chymatosam; alii simpliciter fibrosam, Malpighius  
glandulosam; Ruischius vasculosam existimavere.  
Atamen perspecte conciderata ipsorum substantia  
triplex distinguitur. Exterior una densa paululum  
spongiosa, quæ tota fere vasculosa apparet, inter-  
iectis tamen corpusculis quibusdam minoribus,  
(a) corticalis nuncupatur; altera medullaris, radiata,  
tubulis rectis et exiguis constat; ab ea oritur tertia  
interior Mamillaris in decem duodecimve apices  
desinens, qui ex radijs tubulosæ substantiæ conver-  
gentibus efformati minimis orificijs serum urino-  
sum, seu Lotium in corticali substantia secre-  
tum intra tubulos membranaceos, indeque versus  
Renum cavitatem, seu Pelvium deponunt. An veró

(a) Vid. *Institut. Medic. Boerhavij. numero 353.*

apparatu glanduloso, an vasuloso urina secer-  
natur? Dubium inter utrumque manet. Inspectio  
tamen anatomica tum celeritas aucta, tum laxitas  
morboſa quibus cruor alijque liquores crassiores  
quandoque evadunt vasorum extremis totum opus  
præcipue tribuere videntur.

§. 2.<sup>o</sup>

Multo sero sanguinis; sale volatillissimo al-  
calino proximo; oleo acriori, tenuissimo ad putre-  
dinem vergente; terra quoque tenui et valde  
attrita urinam constare demonstrat Analysis. Par-  
tium harum constituentium habita ratione pa-  
tet, cur tan frequens in Renibus aut vesica cal-  
culus generetur. Si enim quacumque de causa in  
ipsismet tubulis uriniferis, oblongis, conicis, mo-  
retur urina. mox concreſcentibus terra et oleo,  
additis partibus quibusdam salinis efformatur cal-  
culi germen, nisi que urina urgente versus vesicam  
Protrudatur, additis particulis in ipsomet Rene au-  
getur, calculumque renalem constituit.

Renibus calculo laborantibus oritur morboſa  
dispositio quæ generatim *Nephritis* audit. Varie  
tamen distinguenda; vel enim arenulæ in Renibus  
contentæ dolorem nephriticum producant; vel cal-



culo præsentē Renibus integris variā prodit acciden-  
tium soboles, quæ mox ægrum ad ora fauces dant  
precipitem; vel denique calculi præsentia irritati  
Renes suppurantur. Pro vario isto affectu varia  
Diagnosis, variaque curatio. Arenulas absque ullo  
dolore á Renibus excerni quotidiana docet praxis,  
si vero varijs de causis intra ipsosmet tubulos urinife-  
ros retentæ hæreant, irritata, pressa læsive Renum,  
substantia, mox oriuntur symptomata quæ non tan-  
tum ipsorum irritationem, verum etiam inflama-  
tionem indicant. Hinc febris acutæ continuæ cuti  
aridæ et ardenti, alijsque generalibus inflammationis  
signis accedunt dolor ardens, pungens et inflama-  
torius in regione lumbari, dolor inguinis, Testis-  
que ejusdem lateris, stupor cruris, motus con-  
vulsivi, dolor iliacus, urinæ paucæ et sanguinolentæ  
fluxus, aucto que dein Paroxysmo oriuntur ru-  
ctus, vomitus biliosi, ventris tormina, singultus,  
lipothymia, indeque sudores frigidi. Horumcæ  
accidentium genesis á partium structura et con-  
nexionē desumenda.

Quantum tunc in ancipiti versetur æger  
facile patet. Hinc indicatur quidquid inflammationem  
minuere, infarctos irritatosque Renes solvere, uri-  
næ vias relaxare, spasmosque tollere potest; unde  
huicce scopo optime competunt venæ sectio,



plus minusve pro ægri viribus repetita; potus lenientes, emollientes, magna copia ingesti, potiones oleosæ, clysmata, fomenta, victus tenuis, quies balneaque præ ceteris, imo Diuretica caute in quibusdam casibus adhibeantur.

In quibusdam hominibus sæpe adest calculosa diathesis, qua ita afficiuntur ut in omni fere tempore arenulas urinasque maxime subsidentes deponant, tunc calculum pertimescendum est. Incidiosa quandoque apparet quies posteaque subito sæviunt *Nephritidis* accidentia, si majorem comparavit molem.

At præter enumerata *Nephritidis* signa alia specialiter sæviunt. Sensus gravitatis, dolores perpetui sentiuntur in eodem loco, hepaticidem mentitur; non fit in hoc casu inflamatio, nisi per longiorem irritationem excitetur. Si in utroque Rene calculus oriatur, urina mox supprimitur, et in sanguine contenta varias edit strages, unde febris acutissima, spasmi, delirium, syncope, palpitatio cordis, Mors.

*Malum* minuere non vero tollere queunt remedia *Nephritidi* congrua; quies præsertim competit. Medicinam efficaciorum (Renum sectionem nempe, seu Nephrotomiam) meditati sunt pluri, at periculosam illam aleam tentare non ausi



sunt. Hanc laudaverunt varij. At vero licet Renum vulnera sanentur, licetque institui queat sectio abdomen non penetrans, arduam tamen hanc operationem vetant profundus Renum situs, ipsorum supra costas spurias positio, calculi percipiendi difficultas; suffragantibus nobis Hippocrate (d). Heistero (e) et alijs.

Remedium Alkalino-Saponaceum Anglicum ad calculum solvendum efficacem docuit experientia, nec rationi contrariatur. Calculus enim constat partibus terrestribus, et salinis, quæ materiæ viscosa seu glutine compinguntur, atque ferruminantur: inde indagandum est remedium conflatum partibus ejusmodi, quæ in hæc diversa principia specifica gaudeant actione, quæque simul visceri cui lapis includitur savius non inimicetur; sed remedium Alkalino-Saponaceum Anglicum hisce virtutibus præditum agnoscitur; ergo applicare debetur. Pharmacum illud fere totum sapo Hispanicus est eximius: componitur ex lixivio Sodæ lixivio calsis, et oleo olivarum ad spissitudinem solidam coctum: Vis unita triplicis hujus substantiæ, mediante aqua sanguinem ingressa, agit in partes calculi salinas, terrestres et sulphureas; illas dissolvit, penetrat, emollit, secunquæ abripit dispersitas;

(a) *Lib. de internis affect.* Cap. 15, (e) *Imtit. Chirurgic.* Part. 2. Sec. 5.





